

dinem accepti beneficii, ideo gestiens et exultans *magnificavit Deum*. Magnum enim bonum est corpus sanum et vegetum uti magna e contra miseria corpus morbidum, et præsertim leprosum. Bonus ille Samaritanus novit experimento, quantum esset inter utrumque discrimen, quod nos, si pari modo sentiremus, singulis diebus pro eo beneficio gratias ageremus. Itaque Samaritanus iste primum gratitudinis attigit gradum, cum beneficium agnovit; sed nequaquam in eo substitit, ad alterum ascendit, dum magna voce beneficium prædicavit, et pro eo gratias egit. Non siluit beneficium, non abscondit pecuniam Domini sui sed palam omnibus ostendit, ut simul alios lucraretur, et Christo pareret filios. Docuit ergo nos non suppressere beneficium aut nomen benefactoris nostri, cum occasio est laudandi: *Si quid ab altero edocti sumus*, inquit S. Basil. ep. I. *idipsum non occultandum est, velut improbae mulieres spurios partus subjiciunt, sed dicti parens cum gratitudine prædicetur*. Ac licet communia sint beneficia, qualis est creatio, et redemptio totius generis humani, solis ortus et pluviae super justos et injustos, plurimorum discipulorum eruditio sub eodem magistro, etc. non ideo minus obligati sumus ad referendas gratias, siquidem ita singuli fruimur beneficiis, ac si uni soli collata essent. Nam: « Quid interest, inquit D. Chrysost. I. II. de compunct. cordis, si et aliis præstitit, cum quæ tibi præstita sunt, ita integra sint, et ita profecta, quasi nulli alii ex his aliquid fuerit præstitum. Ideo denique et in illa boni pastoris parabola non dicitur, quia venit oves multas quærere sed unam. Una namque est, quia sic omnibus quasi uni divina beneficia conferuntur. » Sane hujus leprosi sanatio communis fuit cæteris novem, non ideo tamen ipse minus gratias egit, quam si soli imperfita fuisset. Sed neque in hoc secundo gradu stetit, ad supremum etiam ascendere conatus est, beneficium beneficio compensare studens. Sed quid hic pauperulus dare Christo potuit? *Quis enim prior dedit illi, et retribuetur ei?* inquit apostolus. Dedit sane aliquid, quod testatur ipse Dominus: *Non est inventus, inquit, qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*. Dedit ergo gloriam et divinum honorem Deo, cum Christum tamquam Filium ejus supplex adoravit, procidens in faciem suam. Hac ergo publica adoratione protestari voluit, ipsum esse plus quam hominem, adeoque Deum verum. Magnum profecto munus, quo majus dare non potuit; quia una cum illo se quoque ipsum obtulit. Bene Seneca, lib. I. de benef. c. VI. « Nec in victimis,

inquit, licet optimæ sint, auroque præfulgeant, deorum est honos, sed in pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fictili religiosi sunt, mali non effugiunt impietatem; quamvis aras sanguine multo cruentaverint. » Atque hic fuit reditus, hic circulus Samaritani, quo ad Christum regressus est, tres, inquam, gratitudinis assignati gradus, quos enumerat D. Thom. XXII. q. CVII. a. II. et scandere nos convenit, si ad cæleste præmium ascendere velimus. Scimus columbam ex arca dimissam a Noe, ad eandem esse reversam, viridem ramum ore præferentem, corvum vero non esse reversum. Columba fuit Samaritanus noster dignam gratiarum actionem ore suo afferens, et rediens ad Christum: corvos se monstrarunt reliqui leprosi, qui nequaquam redierunt. Quid jam nos Christiani; corvi esse volumus, non columbæ? Absit hoc a nobis. Sed nec contenti simus, qualicumque gratiarum actione. Humilis, simplex, sincera, adeoque columbina ea sit, necesse est, qualis fuit et Samaritani: « Non omnis gratiarum actio, inquit S. Bern. ser. XIII. in Cant. accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica et mera simplicitate procedit. Pudica sane dixerim propter eos, qui et de malis actibus suis gloriantes, Deo gratias agere solent, quasi Deus more ipsorum lætetur, cum male fecerint, et exultent in rebus pessimis. Mera vero simplicitate adjunxi propter hypocritas, qui Deum quidem de bonis suis, sed verbo tenus glorificantes corde retinent, quod ore præbuerant. »

Tertio, memor fuit modestiæ, quia venit suo functurus officio, non accusaturus alios: nos ut nostra commendemus, aliena vituperamus; ut magis elucescamus, contrarium juxta nos ponimus. Sic Phariseus ille orans, ut extollat opera sua, deprimit Publicanum: *Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus*, Luc. XVIII. quasi alienis sordibus se ornare velit. Non ita hic Samaritanus, non sic agit gratias, ut alios collutulet, et se nitidiorem faciat; neque enim ait: Monui socios meos, ut mecum ad te redirent, sed persuadere non potui; ad propria redierunt, beneficii tui obliti sunt: a sacerdotibus seducti sunt, ne beneficium tibi adscribebant. Nihil horum ipse: suo bono contentus est, alieno modo non gaudet. Exodi XX. præcipit Deus Moysi: *Non ædificabis altare de sectis lapidibus; si enim levaveris cultrum super eo, polluetur*. Sectis de lapidibus altare Deo erigunt, qui cum aliorum contemptu vel probro laudes Deo canunt et gratiarum actionem. Itaque si hujusmodi detractionis culter proximum tetigerit, cum

Deo vis altare, sive laudis, sive gratiarum actionis, sive alterius boni operis, erigere, polluetur altare tuum.

Sed jam tempus est, ut præceptorem audiamus. Quod igitur iudicium præceptoris de his discipulis? Primo, novem illos absentes alicujus ingratitude arguit, quod non redierint ad benefactorem, exemplo Samaritani. Crediderim quidem ipsos agnovisse beneficium, nec omnino ingratos fuisse; debebant tamen ingratitude schola altiore gradum facere, vel exemplo Samaritani; sed nimirum ita fere solemus facere omnes; quamdiu durat morbus vel calamitas, tamen recordamur Dei, eumque invocamus; at ubi convalescimus et erepti sumus mox Dei obliviscimur, et qui ad eum referri debuimus magis elongamur ab eo, juxta id Isa. XXVI. *Indulsisti genti, Domine, indulgisti genti: numquid glorificatus es? Elongasti omnes terminos terræ, q. d. ex hac tua indulgentia ingrati populi recesserunt a te usque ad ultimæ terræ fines*, inquit D. Hieronymus. Multi qui per Dei gratiam e morbis convalescunt, verum esse ostendunt, quod proverbio dicimus: Quæ causa est, quod ingrati januam præcludant divinæ liberalitati et novis beneficiis, quo enim plura accipiunt, eo deteriores fiunt et magis obligantur Deo ad reddendam rationem. Unde Sap. VI. dicitur: *Ingrati spes tamquam hibernalis glacies tabescet, et disperiet tamquam aqua supervacua*. Glacies dum manibus tractatur, sensim in aquam diffluit; rursus: « Fluminis aqua si stare cœperit, inquit D. Bernard. serm. in c. jejunii, et ipsa putrescit, et inundatione facta superveniens repellitur: sic plane sic gratiarum cesset decursus, ubi recursus non fuerit, nec modo nihil augetur ingrato; sed et quod acceperat, vertitur ei in perniciem. »

Secundo, Samaritano magificum dedit præmium: laudem et salutem corporis et animæ. Primo enim, commendavit eum, quod rediisset ad medicum suum, et dedisset gloriam Deo: quod e decem solus, quod gentilis et alienigena. Omnia hæc emphasin et suum pondus habent. Magnopere laudandum est, redire leprosum longo itinere ad medicum suum, ut gratias illi agat: magis adhuc laudandum, solum inter decem redire: maxime laudandum, alienigenam hoc facere, quod Judæi non fecerunt. Jam vero prædicari a Christo, cæli et terræ Domino, quantum istud est? Huic tam eximio dono addidit salutem, gratiam videlicet (nam sanitate ante dederat) quæ est salus inchoata; atque ut acceptius donum istud esset, adjecit hoc ei præmii loco pro meritis decretum esse: *Fides tua te salvum fecit*. Unum discipuli præmium:

IV. PARS FESTIVALIS.

quod ex merito ei datur, magis illum recreat, quam si centena donentur aut a Patre comparentur, quæ non sit meritis.

Tertio, instruit etiam benefactores, primo, ut ne conturbentur, si inter clientes suos, in quos effundunt dona sua, multos habeant ingratos. Decem habuit Dominus, unus dumtaxat ei gratias egit. Secundo, ut ne in ingratos fulmina ejaculentur, vel etiam peniteant de suis beneficiis in eos collatis. Non enim ideo Dominus revocavit donum suum aut nova eos lepra punivit, quia ingrati fugere; nec etiam in bonum suum, sed in bonum leprosum gratitudinem ab eis desideravit. Optima sunt beneficia, quæ retributionem non expectant. Tertio, ut ne sibi adscribant laudem benefactorum suorum, sed Deo. Ait enim Dominus: *Non est inventus, qui rediret, et daret gloriam Deo*. Deo inquit, non mihi: tametsi ipse Deus erat. Patri vult dari gloriam, ad exemplum nostrum, ut in omnibus nostris operibus bonis dicamus cum Davide: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*.

## CONCIO XI.

### MYSTERIA.

I. Cur tot olim in Judæa leprosi? — II. Quæ peccata maxime olim Deus lepra punivit? — III. Quæ præcepta olim leprosis data? — IV. Cur steterunt a longe? — V. Cur in via primum sanati? — VI. Cur missi ad sacerdotes? — VII. Cur interrogat Dominus: *Novem ubi sunt*. — VIII. Cur sanati antequam ad sacerdotes venirent? — IX. Quomodo Samaritanus iste miscuit se Judæis? — X. Fidesne sola leprosum sanavit?

### THEMA.

*Jesu præceptor miserere nostri*. Luc. XVII.

Quod dudum ante vidit, et vaticinatus est Isaias populo Hebræorum de Messia, c. XXX. *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum*; hoc nunc oculis suis vident, et ore confirmant decem viri leprosi, cum ad Christum exclamant: *Jesu præceptor, miserere nostri*. Vident, inquam, Dominum summa potestate omnibus præcipere, omnesque illuminare posse. Vidimus supra præipientem: videamus nunc illuminantem. Nos velut rudes discipuli adeamus magistrum, et petamus intellectum hodierni evangelii.

I. Cur tot olim in Judæa leprosi? Resp. partim ex Dei punitione, qua certa quædam peccata deformi hac plaga percutere voluit: partim ex causis naturalibus. Ut enim certæ aliæ regiones certis morbis, magis quam aliæ, sunt obnoxia,

(hinc Hungarica febris, Gallica lues) ita Judæa lepræ. Quæ causa fuit, cur tempore belli sacri tot Belgæ, Franci, Germani, ex Judæa redeuntes, leprosi inde redierint, ideoque tot ubique erecta fuerint leprosa, quæ etiam nunc extant, sed sine leprosis, ut scribit Corn. a Lap. in Levit. XIII. quamquam ea Judæorum lepra diversa fuit a nostra, quæ magis elephantia est quam lepra, ut ibidem observat Cornelius. Illi enim in cute fere tantum erat; nostra vero carnes et ossa depascitur: illa etiam vestibus et muris adhærebatur; nostra non item: illa curabilis erat; nostra curari nequit.

Videtur etiam divina providentia constitutum fuisse, ut eo tempore, quo in Judæa Christus degebat, plures essent leprosi, obsessi, et variis corporis defectibus obnoxii, quo Christus in eorum curatione suam divinitatem et Dei gloriam monstraret.

II. Quæ potissimum peccata olim lepræ plaga a Deo sunt mulctata? Resp. Primo, simonia; ob hanc enim Giezi servus Elisæi, lepra percussus est ab hero suo, quod a Naaman acceperit argentum, pro beneficio curationis, accepto ab Elisæo, IV. Reg. V. Quia ergo Giezi alienis et iniquis nummis suos commaculavit, jure etiam in corpore suo lepra commaculatus est.

Secundo, sacrilegium, ob hoc Ozias rex usurpans sacerdotium, et volens adolere incensum, lepra tactus est a Deo, II. Paral. VII. Recte etiam hoc, ut adverteret Ozias se nequaquam ad id ministerium sanctificatum; sed sordidum et impurum esse.

Tertio, homicidium; propter hoc imprecatur David lepram Joabo, II. Reg. III. quod is occiderit Abnerum.

Quarto, rebellio et murmur contra sacerdotes; uti discimus ex cap. XXIV. Deut. *Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ sed* (ut eam evites) *facies quæcumque docuerint te sacerdotes, etc. Memento, quæ fecerit Dominus Deus vestræ Mariæ, etc. sorori Moysis videlicet, quæ ob murmur contra fratrem, lepra fuit munita, Num. XII.*

Quinto, hæresis; refert enim Gregorius Turo-nensis, lib. I. mirac. S. Martini, cap. XI. et ex eo Baron. anno 360. Ariamirum Gallicie regem ob Arianam hæresin, cum sua regione lepra infectum, postea missis ad S. Martinum muneribus et deposita hæresi, curatum esse.

III. Quæ præcepta leprosis data in veteri lege? Resp. quinque, Levit. XIII. Primum, ut haberent vestimenta dissuta; sive ut vapores putidi corporis facilius expirarent, sive ut melius agnoscerentur: secundum, ut nudo capite incederent, ob eandem causam: tertium, ut os veste con-

tegerent, quando nimirum appropinquarent aliis, ne halitu suo eos contaminarent: quartum, ut sordidos se clamarent, et dignosci ab aliis et vitari possent: quintum, ut soli habitarent extra castra, tum ne alios inficerent; tum ut in ea solitudine ab omnibus desituti discerent ad Deum recurrere. Morali sensu admonetur quisvis peccator, ut primo, per contritionem scindat cor suum ad pœnitentiam: secundo, ut firmiter statuat ac proponat deinceps ambulare sincere et honeste, ita ut non refugiat in suis actibus conspici ab hominibus: tertio, et quarto, ut in confessione clamet sese sordidum et peccatorem esse, tecto tamen ore, seu in auribus solius sacerdotis; ne publica confessione alios offendat: denique, ut per opera satisfactionis separet se a mundi voluptatibus et deliciis, vacetque Deo in solitudine cordis.

IV. Cur steterunt a longe decem leprosi? Resp. primo, ob reverentiam, quod scirent se contaminatos, adeoque ex lege ab hominum consortio separatos. Putabant ergo se Christo fore odiosos, si propius accessissent. Quod si Judæi corporalem immunditiam adeo vitandam censuerunt: nonne multo magis cavenda erit immunditia spiritualis, quæ est peccatum?

Secundo, ad instructionem nostram, ut discamus in oratione elongare nos per humilitatem a divina majestate; quemadmodum et Publicanus ille fecit, qui in templo stans a longe oravit. Hoc autem faciemus agnoscendo nostram dignitatem et divinæ majestatis dignitatem.

Tertio, ob mysterium, quo indicatur peccatores a Deo abjectos esse, juxta id Proverb. XV. *Longe est Dominus ab impiis*, propter horrorem scilicet peccati, quod Deo e diametro contrarium est. Et quia peccatores a Deo se elongant, uti filius ille prodigus, qui a patre suo discedens in longinquam abiit regionem; ideoque etiam: *Longe a peccatoribus salus est*, Ps. CXVIII.

V. Cur non protinus sanavit eos Dominus, sed in via primum? Respond. primo, ut probaret eorum fidem et obedientiam. Poterant enim dicere: Cur nos mittis ad sacerdotes, qui nondum mundati sumus? Judicare illi de lepra, non sanare possunt: sana prius et post ablega. At nihil horum illi. Crediderunt et paruerunt, ideoque secundum fidem suam in via sanati sunt. Præterea etiam poterant cogitare, necessarium esse ut ipse Dominus ad eos accedat et tangat lepram, sicque præsens curet: quod sensit etiam Naaman ille leprosus præstandum sibi ab Elisæo, IV. Reg. V. Verum sicut Elisæus probaturus ejus obedientiam, minime ad eum descendit neque tetigit lepram, sed ablegavit eum ad Jordanem: ita

modo Christus agit cum leprosis istis; ablegat eos a se ut probet num tantæ fidei sint, ut credant se etiam absentes ab eo sanari posse.

Secundo, ut examinaret eorum gratitudinem. Si enim coram eos sanasset, non dubium, quin omnes pudore saltem cogente gratias egissent; at non omnes egerunt, postquam in discessu sanati sunt. Tunc virtutis erat agnoscere beneficium et gratias rependere. Gratum est aliquibus non videre benefactorem, ne cogantur ei gratias agere. Hinc Domitius Afer cum haberet ingratum litigatorem, ipsius conspectum vitantem, ne cogere agnoscere patroni beneficium, in foro per nomenclatorem illi dixit: *Amasne me quod te non vidi?* Eras. l. VII. apophth.

Tertio, ut doceret pœnitentes sanandos quidem fore per confessionem, sed non sine onere aliquo satisfactionis. Percurrendi sunt passus aliquot, orationis, jejunii vel elemosynæ, si sanari a peccati lepra volumus, qui post baptismum relapsi sumus in aliquod peccatum. Docent hoc passim ss. litteræ. Satisfecit enim Christus pro peccato Adami, et tamen pœnam ei injunxit: satisfecit pro populo Israel adorante vitulum, Exod. XXXII. rursus pro murmurante in deserto, quin et remisit peccata eorum, et tamen illi pro priore peccato minatus est pœnam, pro posteriore intulit. Sic egit et cum Davide. Docet Joseph patriarcha, luculentus Christi typus, qui initio ita veniam dedit fratribus, ut interim mire eos exagitaret, Gen. XLII. docent viri sancti, qui ultro a se pœnas post peccatum exegerunt, uti David, Magdalena, Paulus, etc. docet etiam ratio, ut pœnarum metu sapiat peccator et vexatio det intellectum: decet enim ita sentire divinam misericordiam, ut simul etiam justitiæ ratio habeatur, et faciles relapsus per eam inhi-beantur: docent vel ipsi ethnici, ut nimirum, qui peccavit, pœnas etiam a seipso exigat. Fecit hoc Popilius; quando ob quosdam sine judicii forma condemnatos extorrem se extra Italiam constituit; et Calixenes apud Athenienses, sibi vulnera intulit, eo quod similiter sine forma judicii condemnasset decem duces, ut scribit Pausanias.

VI. Cur misit ad sacerdotes? Resp. primo, ut legi Mosaicæ deferret, quæ judicium de leprosis ferendum concessit sacerdotibus, Levit. XIII. Docet ergo nos præcepta Dei et Ecclesiæ sedulo observare, et magno in honore habere.

Secundo, ut honoraret sacerdotium. Tametsi enim mali erant plerique Hebræorum sacerdotes, honorandi tamen erant propter officium. Sane etiam Caiphæ, improbo sacerdoti concessum a Deo fuit donum prophetiæ, Joan. XI. quia erat pontifex anni illius.

Tertio, ut leprosum sanationem clariorem atque expeditiorem faceret. Nisi enim se sacerdotibus sistitissent, facile vicini Judæi poterant eis objicere; qua auctoritate et quo jure ingererent se in populum et in urbe habitarent, non obtento a sacerdotibus testimonio, quod mundati sunt. Ne ergo in tricas et litès incidant, consulto mittuntur ad sacerdotes, ut eorum sanatio ab iis approbetur. Discunt inde judices et advocati non prorogare lites partium, sed præcidere: divites non differre pauperes opem implorantes, juxta id Prov. III. *Ne dicas amico tuo: Vade et revertere, cum statim possis dare.*

Quarto, ut typice indicaret, peccatorum judicium ac remissionem pertinere ad sacerdotes novæ legis. Sicut enim lepra peccati; ita sacerdotes veteris legis typus erant sacerdotum novæ legis. Illis ostendi debuit et detegi locum lepræ, istis etiam peccata revelari debent. Illi de lepræ qualitate judicium ferebant: isti judicium ferunt, de peccatorum qualitate et quantitate. Verum quia figura semper cedit ipsi veritati et umbra rei, ideoque etiam judicium illorum sacerdotum longe defecit a judicio istorum. Sacerdotes enim veteris legis lepram non purgabant, sed de lepra sententiam ferebant. At novæ legis sacerdotes, longe majori potestate, ipsam peccatorum lepram purgant atque abstergunt, absolutionis beneficio, velut ministri Christi.

VII. Cur interrogat Dominus: *Novem ubi sunt?* Nonne scivit ubi essent? Respond. scivisse hoc utique, sed eo loquendi modo primo, dicere voluisse: Cur non veniunt et novem ut dent gloriam Deo? Ubi illi manserunt? In oblivionem et ingrati-tudinem lapsi sunt. Sic dicebat Adamo: *Ubi es?* q. d. cur te abscondis? Cur erubescis? In quem statum excidisti?

Secundo, indicare voluisse, se nescire eos (scientia approbationis) qui ipsi non placent. Sic dicebat fatuis virginibus? *Nescio vos*, Matth. XXV. sic dicit aliis reprobis: *Nunquam novi vos*, Matth. VII. e contra vero: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*, II. Tim. II. Notos et familiares nostros salutamus amice, alloquimur, invitamus, honoramus: alienos vero et ignotos præterimus et negligimus, sæpe nec aspectu dignamur. Eodem modo Deus solet exhibere se erga notos et ignotos suos. Quod si magna gratia et consolatio est, notum esse familiariter alicui principi aut potenti viro, in cujus territorio versamur, quid erit familiarem esse Deo?

Tertio, notare voluisse peculiarem ingrati-tudinis detestationem ac deformitatem; ut quæ hominem expungat e memoria Dei, quando ipse etiam e memoria sua expunxit beneficia Dei.

Unde glossa interlin. in ea verba ait: *Sic habet ingratos quasi ignotos. Ubi sunt? Inquirat Dominus.* Sic dicitur Ose. IV. *Oblita es legis Dei tui: obliviscar filiorum tuorum et ego.* Obliviscitur ingratus benefactoris sui: quid mirum si ipsius etiam obliviscatur Deus? Hinc colligere oportet, quam detestanda sit ingratitude, quæ tam longe separat hominem a Deo, ut quodam modo ab eo conspici non possit.

VIII. Cur in via antequam ad sacerdotes venirent, sanati sunt? Resp. primo: *Ne virtute legis sacrificiive aut sacerdotum putarentur mundati sed sola potestate divina,* inquit Did. Stella, in Luc. XVII. Certe sacerdotes, si in ipsorum presentia leprosi curati fuissent, ejus miraculi honorem sibi et sacrificiis suis facile adscripsissent, Christoque præripuissent.

Secundo, ut virtutem contritionis typice notaret. Per contritionem enim veram et legitimam peccator justificatur, etiam antequam ad confessarium et confessionem perveniat, juxta id Psal. XXXI. *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.* Sic enim ea verba recte exponit ven. Beda: *Dixi. Inquit, quod in proposito meo confitebor Domino: et adhuc non erit verbum in ore, et jam auris Domini erat in corde, quia tu Domine, statim cum hoc proposui, remisisti mihi.* Nihilominus, quemadmodum leprosi, licet jam sanati, tenebantur sacerdotibus se sistere, ob præceptum Christi et legis; ita etiam peccatores, tametsi per contritionem jam justificati, peccata sua confessariis debent aperire, ex præcepto Christi; cujus impletio faciendâ implicite continetur in contritione, quæ propositum includit vitandi omnia peccata. Peccatum autem foret, non satisfacere præcepto Christi.

IX. Qua ratione Samaritanus iste leprosus Judæis immixtus fuit, cum teste D. Joanne, cap. IV. Judæi non contererent Samaritanis? Resp.

primo, non omnia commercia cum gentilibus fuisse Judæis prohibita, sed fœdera maxime et conjugia, Deut. VII. Poterant ergo inter leprosos Judæos etiam esse Samaritani, præsertim in confinibus utriusque nationis, ubi forte communia habuerunt leprosorioria. Quod de his leprosis non est difficile creditu, siquidem occurrerunt Domino transeunti per mediam Samariam et Galilæam.

Secundo, paupertatem et calamitatem effecisse, ut Judæi cum Samaritanis, odio deposito, in societatem coirent. Solent enim divitiæ et res secundæ hominum animos dividere: paupertas et calamitas unire. Canes duos rixantes injice in aquam, et illico rixari desinent. Abraham et Loth antequam ditarentur, una secum habitabant unanimes; at ubi divitiis aucti sunt, necesse fuit eos a se mutuo disjungere. Gen. XIII. Trecenti pauperes in eodem cœnobio majorem in se concordiam servant, quam tres divites ruricolæ in eodem pago.

X. Itane fides sola leprosum sanum fecit? Resp. primo, Christum hic loqui de fide non justificante, sed miraculorum; quæ sufficiebat ad sanitatem corporis impetrandam, eamque solam fere exigebat Christus ad obtinendum corporale beneficium, ut nimirum crederent se a Christo sanari supra naturæ vires posse.

Secundo, leprosum quidem non corpore solum, sed et animo sanatum, adeoque justificatum esse, non tamen ex fide sola et nuda, sed operante per dilectionem, quam habuit hic Samaritanus. Etenim Domino præcipienti paruit, ad sacerdotes perrexit, grato animo ad Christum rediit, eum adoravit. Itaque licet per fidem, qua is salvus factus est, intelligamus justificantem, non tamen inde sequetur, eum sola fide sine operibus justificatum esse. Sed de hac re sæpius dictum.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

#### MEDIA VIA QUOMODO INCEDENDUM.

I. In fortunæ bonis mediocritatem elige. — II. In fortuna prospera et adversa, nec erigere nec concide. — III. In via salutis, inter spem et metum. — IV. In via virtutis. — V. In justitia distributiva, sine respectu personarum. — VI. In justitia commutativa, sine magis et minus. — VII. In justitia christiana.

#### THEMA.

*Cum iret Jesus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilæam.* Luc. XVII.

Ante octiduum demonstravit nobis Christus viam ad cœlum, amorem Dei et proximi: *Hoc fac et vives,* inquit. Hodie rursum aliam nobis ostendit viam ad vitam æternam, *auream videlicet mediocritatem.* Iturus enim in Jerusalem, transit non per fines, sed per medium Samariæ et Galilææ. Et cur, nisi ut doceat media virtutis via ad cœlestem Jerosolymam, *pacis veræ visionem,* esse perveniendum? Videtur hoc Isaias capite XXX. nobis prædixisse; sic enim ait: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Quem præceptorem? Utique illum, cui in hodierno evangelio oclamant leprosi: *Jesu præceptor, miserere nostri.* Pergit porro: *Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis: hæc est via, ambulate in ea: et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram.* Quis hic post tergum monens, nisi Christus Dominus discipulos suos præcedens in Jerusalem, et dum per mediam Samariam et Galilæam incedit, hoc ipso, non quidem verbo, sed facto monens, media virtutis via incedendum esse, et non declinandum neque ad dexteram neque ad sinistram, si tendere velimus in cœlestem Jerusalem? Verum dicet aliquis: Quæ est illa via media, quæ ad vitam ducit? Audiamus.

I. Si fieri potest, in fortunæ bonis, medio tutissimus ibis. Id enim petit Salomon, Proverb. XX. *Duo rogavi te ut deneges mihi antequam moriar. Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria; ne forte satiatus illiciar ad negandum, et dicam: Quis est Dominus? Aut necessitate compulsus, furer et perfurem nomen Domini Dei mei.* Id explanans S. Chrysostomus, hom. XIV. de avaritia ait: « Si quando onus est justo

gravius, demergit cymbam; rursum cum est moderatum, prospero fertur cursu. Idem usuvenit in nostris ædibus. Cum ultra quam usus postulat, congeris pecunias, exigui venti procella et quavis rerum inexpectarum incursus demergit cymbam. At si tantum reponas quantum postulat necessitas, etiamsi vehemens turbo ingruat, facile percurris undas. » E contra, si vacua omnino sit navis, nec saburra prægravetur, a fluctibus jactatur et abripitur vel evertitur: ita et egentes rebus necessariis agitantur curis, unde ad furta et mendacia, vel prostituendum corpus (quod plurimis pauperculis puellis contingit) facile abripiuntur. Hanc auream mediocritatem precatus est Sanctus Franciscus hospiti suo in villa Tysi, prope Alverniæ montem, postquam ab eo benevole exceptus est hospitio, ita videlicet ut ejus domui nec divitiæ, nec paupertas a Deo daretur, sed victus tantum necessarius. Id quod usque hodie in ea domo perseverare scribitur a Luca Waddingo in annal. Minor. an. 1215. ita ut hospes ille, quicumque sit, nunquam ad pauperiem redigatur, sed nec divitias acquirat; unde id hospitium *domus Sancti Francisci* appellatur. Quare cui hæc fortuna contigit, is Deo gratias agat, et aliam non desideret. Ita egit Jacob, qui Genesis XXVIII. ait: *Si dederit mihi (Deus) panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cuneorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi,* hoc est, cultu et devotione singulari eum colam, erigam ei templum, et dabo ei decimas. Ecce plus non petiit quam victum et vestitum; quibus et apostolus jubet nos contentos esse, I. Tim. VI. *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Vidit hoc et Plato, dial. III. de legibus, ubi sic philosophatur: *In quocumque hominum cœtu nec inopia nec divitiæ sunt, huic justissimi mores aderunt.*

II. In fortuna ipsa inter prospera et adversa, ut nec extollamur prospera, nec deprimamur adversa: ne efferamur si honoremur; nec animam despondeamus, aut ab officio desistamus, si despiciamur, juxta id apostoli II. Corinth. VI. *Exhibeamus nos sicut Dei ministros, per arma justitiæ a dextris et a sinistris,* hoc est, in prosperis et adversis. In utrisque est periculum, si ad alte-